

Petrus de Vinea

*Ep. V 80 (Dudum per
litteras nostras iudici...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 80 (Dudum per
litteras nostras iudici...)*

1246?

Capitano, ut captiuum, qui fideiussoriam prestitit cautionem, a carcere liberet, restitutis sibi bonis.

1. Dudum per litteras nostras iudici G. de Prato, tunc uicario Sancti Miniati, fideli nostro, recolimus mandauisse, quod, quia dicebatur, quod R. de ..., tunc castellanus Sancti Miniati, ab hominibus ipsius castris et sibi coniunctis de mandato P. de Fasanella, tunc capitanei nostri in Tuscia, nunc proditoris nostri, quamdam pecuniae summam et pignora quaedam abstulerat, eum de personam caperet et cum diligentia custodiret; ac deinde per predictos homines super premissis inquisitionem faceret diligentem, et factam ad nostram curiam destinaret. 2. Qui, tamquam mandati nostri diligens executor, dictum ... cepit et de predictis inquisitionem fecit iuxta traditam sibi formam, ac factam ad nostram curiam destinavit. 3. Verum quia, licet probatum extiterit et per inquisitionem appareat eundem R. quamdam pecuniae summam et pignora recepisse, quod idem R. etiam confitetur, de quibus paratum se offert curiae nostrae reddere rationem; quia tamen per eam asseritur, quod nulla fraus uel dolus super hiis interuenerit, nec probatur aliquid aliud contra ipsum, propter quod ulterius debeat squalore nostri carceris macerari, nec sic innoxios punire uolumus iniuste, sic iuste nolumus et impunes relinquere delinquentes. 4. Et ab A. et R., filiis eiusdem R., curia nostra receperit pro parte ipsius ydoneam fideiussoriam cautionem, quod idem R. in curia nostra compareat iuri pariturus, et de officiis, quae in partibus Tusciae per curiam nostram exercuit, pecunia et pignoribus, quae recepit, perfectam ponere rationem debeat, quam debita subsequatur satisfactio. 5. Fidelitati tuae precipiendo mandamus,

quatenus a uinculis ipsum facias liberari, bonis suis, quae sibi tunc ablata fuerant tempore captionis eiusdem, integre restitutis. 6. Citaturus eundem, ut uigesimo die post citationem tuam, in nostra presentia se debeat presentare. Diem uero citationis eiusdem, coram quibus, et quicquid inde feceris, per tuas litteras harum seriem continentes, nobis rescribere non postponas.